

urgeatur, saltitans cum caveâ huc illûc, in Technica curiosa indicavit *Schottus*. Aufm polliceri mirabilia de Luce potiùs spectacula, tempore locoque opportuno exhibenda. Sed jam antea indigitavimus plus fortè, quàm invidiosa aut insidiosa quædam capita perferre possint.

SECTIO III. FALSORUM.

PARADOXON I.

Lucem nil nisi esse accidens.

Variè à variis erratum circa Lucem est. Fuerunt, qui primævam quoque Lucem accidens vocârunt, modo quodam extraordinario sine subjecto sustentatum; uti *Molina*, *Tannerus*, *Salianus*, & (quis de curioso tali credidisset?) *Ricciolus* lib. 3. Almag. nov. sect. 1. qv. 7. p. 210. *Zarabellæ* Lux nil nisi color, visum terminans & referens albedinem, lib. 1. de visu, c. 4. *Cartesio* Lux actio vocatur. Sic ipse enim part. 3. princip. Phil. p. 74. num. 64. *Clarè*, inquit, percipitur, quo pacto ACTIO illa, quam pro Luce accipio, à Solis, vel cujuslibet stelle fixæ corpore in omnes partes equaliter se diffundat. Gemina his sunt, quæ in *Meteorolog.* c. 1. de natura terrestr. p. 155. n. 4. scribit: omnium ratio manifesta erit, si putemus, Lucem nihil aliud esse, quàm MOTUM quendam, vel ACTIONEM, quâ corpora luminosa materiam subtilem, quaqua-versum secundum rectas lineas à se propellunt. Sed aut illuminationem Lucis nomine *Renatus*, aut *Voetii* iudicio, Philosophiæ usitatæ terminos non intellexit. *Adrianus Heereboordius* vol. 1. select. ex Philos. Disputat. 37. Thes. 8. *Wendelinum* laudat, quòd in *Phys. gen.* Lucem accidentibus annumerârit, contra *Patritium*; quem ibidem vellicat. Nec quicquam addo de *Kirchero*. *Dn. de Gvericke* lib. 4. de virtutib. mundan. c. 12. p. 141. Lucem nil nisi virtutem aliquam lucentem nominat, & à radiis solaribus non admodum distinguit. *Scaliger* ipsemet exerc. 71. sect. 1. Lucem qualitatem corporis lucidi, lumenq; actum diaphani vocavit. Idemq; exerc. 75, s. 4. *Lumen*, ait, *nitor*, *splendor*, *claritas*, *fulgor*, *diversas habent vocum causas; at res una est.* De lumine hæc

*Autores
varii no-
tantur.*